P. J. VAN MAANEN

MED. DOCT.

ORATIO

DE

STVDIO CHIRVRGICO, NOSTRA IN PATRIA MELIVS EXCOLENDO, ET ILLVSTRANDO.

PVBLICE HABITA

DIE XV. IVNII A. CIↃ.IↃ.CC.XCVI.

QVVM

IN ACADEMIA GELRICA ORDINARIAM MEDICINAE THEORETICAE, ANATOMES, CHIRVRGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE PROFESSIONEM AVSPICARETVR.

HARDERVICI,

APVD EVERARDVM TYHOFF,

ACADEMIAE TYPOGRAPHVM.

AMPLISSIMIS

ACADEMIAE

GELRICAE

CVRATORIBVS,

QVIQVE IIS AB ACTIS EST

VIRO SPECTATISSIMO,

HANC ORATIONEM

EA, QVA DECET, OBSERVANTIA

SACRAM FACIT

PETRVS JACOBVS VAN MAANEN.

P. J. VAN MAANEN

MED. DOCT.

ORATIO

DE

STVDIO CHIRVRGICO NOSTRA IN PATRIA MELIVS EXCOLENDO, ET ILLVSTRANDO.

ACADEMIAE GELRICAE CVRATORES, VIRI HONORATISSIMI!

QVI CVRATORIBVS ACADEMIAE A MANV ET TABVLIS ES, VIR SPECTATISSIME!

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE!

QVARVMVIS ARTIVM AC DISCIPLINARVM PROFESSORES CLARISSIMI, COLLEGAE CONJVNCTISSIMI!

VERBI DIVINI PRAECONES FIDELISSIMI, VIRI PLVRIMVM VENERANDI!

CVJVSVIS FACVLTATIS DOCTORES CONSVLTISSIMI, ERVDITISSIMI!

GYMNASII VELAVICI RECTOR, CETERIQVE PRAECEPTORES DOCTISSIMI!

QVOTQVOT PRAETEREA ADESTIS STVDIORVM FAVTORES, CIVES, HOSPITES, AVDITORES EXOPTATISSIMI!

TV DENIQVE ORNATISSIMA JVVENVM CORONA, PATRIAE SPES, ACADEMIAE ORNAMENTVM, NOSTER AMOR!

Quo

Quo me jam animo esse putetis, A. A. H. H., si loci, in quem escendi, dignitatem ponderem; — si tantorum, tamque celebrium virorum nomina, qui hunc ipsum locum toties exornaverunt, in animum revocem; — si amplissimam hanc quocumque artium ac disciplinarum genere praestantium intuear auditorum coronam; — si meam in dicendo infantiam, imo vero maximam considerem imperitiam; — si denique hinc juvenilem meam aetatem, inde honorifici maxime, mihi ab amplissimis hujus Academiae Moderatoribus delati, muneris gravitatem rite perpendam? — si his ipsis de causis animo vehementer me commoveri dixero, haud certe mirabimini: — Et sane commoveor: et ma-

xime quidem me percellit metus, ne, quod inprudens forſan ſuſceperim, oneri ferendo impares ſint humeri. — Equidem fateor, univerſae Diſciplinae medicae illas partes, quarum publice tradendarum munus hac ipſa die cum maxime auſpicor, mihi prae reliquis ſemper fuiſſe in deliciis, iisque quantumpote addiſcendis a primo jam ſtudiorum tempore, quam posſem, maximam me navasſe operam; at contra et mihi quam maxime ſum conſcius, quod alterum tantum heſternus dies adimpleverit annum, quo ſummos in Medicina honores conſecutus ſim; quodque exinde, pro ratione doctrinae atque peritiae, quam muneris in me collati amplitudo a me videtur poſtulare, tam parva mihi fuerit diſcendi et experiundi copia, ut, ſi umquam, hoc ipſo tem-

poris

poris momento animo vehementius me angi ſentiam. —— At quamvis igitur verear, ne ad qualemcumque Oratoris perſonam coram vobis hodie ſuſtinendam vires deficiant; haud tamen mediocriter animum erigit notisſima mihi veſtrum omnium benevolentia. —— Adeſte igitur, A. A. O. O., quorum omnium ora et oculos in me jam converſos video, adeſte aequis auribus: ac mihi, cui nulla dicendi exercitatio, quique e ſpectatisſimo hocce loco prima vice ad vos verba facturus ~~est~~ sum, veſtra, qua ſoletis, humanitate et aequitate, linguis animisque favete.

Recte jam Tullius (*), in omnibus rebus diffi-

(*) Vid. de clar. Orat. Cap. 36.

difficilem esse optimi perfectionem et absolutionem pronuntiavit. Huc tamen omnes tendimus, et quis est mortalium, qui satis sibi virium vel facultatis bene de Civibus vel Patria merendi inesse autumans, optimum hac illave in re perficere et absolvere non sua sponte tentet? Dolendum vero quam maxime, quod de auxiliis, quibus in hac vel illa re propositus finis attingi debeat, non omnibus eadem stet sententia; quod aliis placeant, displiceant iterum aliis quae hac de causa proponuntur, et adhibentur, quodque in majoris non tantum, sed in minoris etiam momenti rebus haud raro hinc tot tantaeque fatales originem ducant inter optimos cives dissensiones. Hinc lites quotidianae; hinc rixae perpetuae; — hinc de vero et optimo

cultu divino non inter diverſae tantum, ſed inter ejusdem etiam religionis asſeclas tanta ſententiarum et opinionum diverſitas: — hinc, quod quae olim juſti et aequi baſis et fundamentum habebatur, et huc usque habita erat, jurisprudentia romana, noſtris diebus parvi aeſtimari, nulliusque ferme utilitatis cenſeri nonnullis incipiat: — hinc, quod quae ſalutari noſtra in arte ab aliis ad coelum extollitur medendi ratio, ab aliis iterum vituperetur et rejiciatur: — hinc tandem, ut alia taceam, tanta tamque triſtis de genuinis, quibus Patriae ſalus promoveri potest viis, inter ejusdem etiam regionis incolas, opinionum diſcrepantia. — Triſtisſima ſane haec omnia, quae bonum quemque, et concordiae amantisſimum ad id ferme incitarent, ut

tritam

tritam a proavis viam non desereret, nec ulla in re perficere optimum et absolvere tentaret. — Absit tamen ut talia nos deterreant: omnibus placere ardua quidem, fateor, res est; at tamen otiosos propterea esse et desides, cum prodesse forsan possimus, officium vetat, generis humani societas prohibet. — Quae quidem omnia dum mecum reputo, qui fieri potest aliter, quin carissimae nostrae Patriae ante oculos mihi veniat, dicamne felix, an infelix conditio, ubi mutata jam multa sunt, mutanturque, — utinam possem addere emendantur et perficiuntur! — quotidie plurima, et ubi intestina civium discordia, quorum quisque ad optimum perficiendum et absolvendum variâ, at contrariâ saepe via suum conferre studet,

com-

communem perdit felicitatem, et lentam Patriae ruinam infert. Laudandi propterea eorum conatus, qui, Patrum Patriae nomine quam dignisſimi, ejusmodi mutationibus, ejusmodi emendationibus optimum perficere, et labefactatam Rempublicam reſtituere conantur, quorum vera utilitas omnibus quantumpote manifeſta et confesſa est, quorumque fructus non in hunc illumve ſolum, non in Civium partem tantummodo redundant, ſed quae eandem ſalutem, eadem commoda omnibus promittunt, et quibus quisque laetus agnoscit verae Civium omnium ſaluti proſpici, ac Patriae gloriam et proſperitatem promoveri.

Et haec quidem cogitatio cum mihi non umquam excidere ſoleat; etenim penitus in-

ſidet: —— cumque et ego in huncce utrumque finem conferre forſan quidpiam posſe mihi viſus ſim, neque ab hac ſolemni die alienum, nec meo munere indignum fore cenſui, ſi ſalutiferae noſtrae diſciplinae partem, noſtra in Patria pesſime neglectam et oppresſam, qualicumque meo ſermone erigere conarer, quique ex eadem pro dignitate exculta in Patriam et Cives redundent fructus, vobis ob oculos pro virili ponerem. Dicam igitur *de Studio chirurgico noſtra in Patria melius excolendo, et illuſtrando.*

Praeſtantisſima ſane, eademque utilisſima ars est, quae manu medetur, Chirurgia; Medicinae, hodie ſic dictae, mater jure habita, quaeque priſcis temporibus pari cum Medicina

pasſu

passu ambulavit, et a solis Medicis fuit exculta. — Ut omnes vero artes et disciplinae non statim ab initio absolutae sunt, atque perfectae, sed magis sensim magisque ad ἀκμὴν perveniunt, sic primis pariter temporibus Chirurgia manca fuit, et haud uno vitio laboravit: sed nihilominus jam tunc innumera commoda humano generi praestitit, dederuntque Aegyptus et Chaldaea inter primos Chirurgos haud uni perito praestantique vero originem. — Aliorum deinde celebrium Chirurgorum natale solum Graecia exstitit, qui tanta sedulitate in hanc artem incubuerunt, suosque labores et conatus tot tantisque successibus viderunt auctos, ut eorum nonnulli in Deorum recepti numerum, divinoque honore sint adfecti.

Summus tandem Hippocrates floruit, qui ſtudio incredibili, ſummoque cum labore et judicio praecedentium omnium labores collegit, propria ſua, eaque innumera, in omni Medicinae parte obſervata priorum obſervatis addidit; majori ſua anatomica cognitione artem inprimis chirurgicam locupletavit; deque humano genere tam bene fuit meritus, ut ſummo jure, etiam noſtris diebus, univerſae diſciplinae medicae colatur parens. — Propagatis jam vero ab eo tempore magis magisque Medicinae finibus, cum multo ſic difficilius et laborioſius redderetur ſtudium medicum, quae hactenus Medicinae partem conſtituerat, ars chirurgica post Eraſiſtrati tempora ab eâdem ſejuncta est, quique in illam, quae manu curat, partem inprimis incumbebant,

bant, Chirurgorum nomen nacti ſunt.

Sic quidem postquam Graeci Chirurgiae fundamenta poſuerant, quam tamen a diſciplina medica nequaquam ſeparandem exiſtimabant, eidem etiam arti Romani dederunt operam, eandemque non ſine egregio ſucceſſu per multos annos excoluerunt.

At quum perfectior jam magis magisque ſic reddita esſet Chirurgia, infelicia illa appropinquabant tempora, quibus et aliae, quae hactenus ſedulo excultae erant, artes et doctrinae, cumque iisdem haud minus Chirurgia ſuos cultores et antiſtites perdebat. Ferrea ſenſim increvit aetas, qua ſuperſtitio et ignorantia in terram dominabantur, qua artes et diſciplinae turpiter negligebantur, et quidquid priſtinis temporibus in

humani generis emolumentum et ſalutem erat excogitatum, denſisſima nube obſundebatur. — Sic tunc neglecta pariter Chirurgia jacuit, ita ut ipſe Albucaſis, qui ſex vel ſeptem abhinc ſeculis floruit, quique cum aliis paucis ex Arabum gente Medicis hanc artem quaſi a morte reſuſcitabat, fateri coactus ſit, ſuo tempore pene exſtinctam esſe Chirurgiam, ut vix hujus artis veſtigium ſuperesſet ullum. — Haud mirum tamen, quod quae tanta humano generi largitur commoda, quae ſui cultoris laborem tot gaudiis, tamque innumeris voluptatibus compenſat, prima iterum caput extollere Chirurgia coeperit; nam cum per longam annorum ſeriem exſtincta penitus videretur animi omnis ingeniique facultas; cum aliae artes et diſciplinae ad de-

decimum quintum usque ſeculum ferme nihil profecisſent ; cum ipſa etiam Medicina adhuc turpiter negligeretur ; obſcuris tamen illis temporibus, praeter Albucaſin, etiam Gulielmum de Saliceto, Guidonem de Cauliaco aliosque antiſtites Chirurgia habuit, et caeteris doctrinis aliquanto clarius enituit.

Medio tandem ſeculo decimo quinto, omnibus renatis artibus et diſciplinis, haud exiguos pariter progresſus fecit ſalutaris Chirurgia; priſtinam gloriam ſenſim recuperavit ; et magis ſenſim perfectior reddita, noſtris diebus ad ſummum ferme perfectionis faſtigium evecta fuit, ita ut hodie ex tanta calamitatum caterva, quibus fragilis noſtra machina quotidie obnoxia est, pleraeque cito, tuto et jucunde ſanari posſint, perpaucas tan-

tantummodo inſanabiles relinquere Chirurgia debeat.

Et quot, profecto, quantique fructus ſunt, — quam innumera commoda beneficiaque, quae in genus humanum Chirurgia confert! quanti ſocietatis humanae propterea non interest, ut haec ars pro dignitate exerceatur! quamque turpiter, ſi non tantum parvi fiat, ſed etiam, ſi modo pro meritis non aeſtimetur, Civium Patriaeque negligitur ſalus, cum bene exculta haud fallacia, haud dubia, ſed omnibus manifeſta et certisſima auxilia afferat, ſicque formam ſanitatemque vitamque Civibus, et Patriae cives ſervare valeat.

Singula jam, quae humano generi largitur ars chirurgica, haud oſtendam commoda;

da; in periti dextrique Chirurgi meritis recensendis haud immorabor, quamque bene, qui artem perfecerint et absolverint, de Patria sint meriti magni nominis viri, praeteribo silentio. — Id unum vobis ipsis, A. A. O. O., dijudicandum relinquo, quid de arte sentiendum, quae, praeter bene multa alia, fracta tali iterum modo componere membra valet, ut nulla superstite deformitate, praestantissima corporis forma restituatur, conservetur; — quae, resecto calculo, dirissimis cruciatibus hominem liberat; — quae, dextere extracta cataracta, coeco et miseram vitam viventi homini utilissimi organi usum reddit; — quaeque, in tempore incarcerata secta hernia, quasi ex orci faucibus hominem eripit? Ut alia taceam: tantos fructus si Chi-

rurgia adferat; tanta commoda ſi hominibus largiatur, quis est, qui reprehendat, quod per omne aevum tot tantique viri in hac arte exco-lenda deſudarint? quis mirabitur, quod magni fiat, multisque laudibus ab illis etiam cele-bretur, qui ipſam forte Medicinam parvi aeſti-ment? Dicatur enim Medicina incerta et con-jecturalis diſciplina; gaudeant ſuis ſpecioſis, magis quam veris, argumentis Medicinae ob-trectatores, ſalutares tamen, nec minus cer-tisſimi unicuique in oculos nimis incurrunt Chirurgiae effectus, quam ut ipſius laudes valeant detrectare. — Verisſime enim Cel-ſus (*). „ Si quidem in morbis cum mul-

„ tum

(*) Vid. de Medicina Lib. 7. in praef.

„ tum fortuna conferat, eademque ſaepe ſa-
„ lutaria, ſaepe vana ſint; potest dubitari,
„ ſecunda valetudo medicinae, an corporis
„ beneficio contigerit. — In iis quoque,
„ in quibus medicamentis maxime nitimur,
„ quamvis profectus evidentior est, tamen ſa-
„ nitatem et per haec fruſtra quaeri, et ſine
„ his reddi ſaepe, manifeſtum est. — At
„ in ea parte, quae manu curat, evidens
„ est, omnem profectum, ut aliquid ab a-
„ liis adjuvetur, hinc tamen plurimum tra-
„ here."

Sit vero ſalutifera, ſit nobilisſima ars Chi-rurgia; ſit eadem per omne aevum a mul-tis diligenter exculta; ſit pariter certisſi-ma, et noſtris diebus quam maxime perfecta; multum tamen abest, ut noſtra in Patria ab

omnibus pro nobilitate et utilitate aeſtimetur; ut a plerisque pro meritis et dignitate excolatur; ut non disſolvendus, qui Chirurgiam inter et Medicinam nexus obtinet, ab omnibus Medicis Chirurgisque percipiatur, utque, qui Chirurgi nomen ferunt, maximus numerus aeque perfectus ſit, ac quidem perfecta est ipſa Chirurgia. Ad internae inprimis praxeos exercitium ſeſe applicet alius; alius, quae manu medetur, artem factitare geſtiat, uterque tamen utriusque diſciplinae medicae partis peritus esſe debet, ſi juſtam et convenientem in omni caſu medicinam facere velit, bonique Medici bonive Chirurgi nomen recte ſibi cupiat vindicare.

Est certe morboſarum adfectionum, ad quarum curationem nil confert Chirurgia, immen-

immenſa ſeries; estque pariter externorum malorum, in quibus largisſime hauſtis remediis nihil plane proficimus, haud exiguus numerus: at contra non raro et Medico et Chirurgo ejusmodi obferuntur aegri, quorum vera morbi natura adeo quidem in obſcuro latet, ut, ad hujus vel illius pertineant forum, dubitari posſit, quibusque medendi ratio ex intimis doctrinae medicae penetralibus erui debeat: iique morbi, qui variis modis compoſiti et complicati interius non tantum, ſed et exterius adhibenda medicamina demonſtrant; in quibus ſummae necesſitatis est, ut altera disciplinae medicae pars auxiliatrices manus alteri porrigat; quique arctisſimum, quo Medicina et Chirurgia inter ſe conſtringuntur vinculum, quam evidentisſime

evincunt (*). Miſerrima certe aegrotantium conditio, qui tali in caſu ſemidoctis duobus ſui curam committere debent, qui, dum alter alterius curandi methodum dijudicare nequit, longe diverſâ ſaepe via procedunt, contraria auxilia ſimul adminiſtrant, morbumque haud raro morbo cumulant, mortemque accelerant.

Dolendum ſane quam maxime, quod omnibus cognitionis chirurgicae necesſitas haud melius perſpecta ſit Medicinae ſtudioſis; dolen-

(*) Arctum, quod Medicinam inter et Chirurgiam occurrit, commercium non tantum in nonnullorum morborum adminiſtranda cura elucere; ſed in nonnullorum etiam diagnoſi formanda utramque hanc diſciplinae medicae partem auxiliatrices ſibi porrigere manus, egregio exemplo probavit *C. J. Bergerus*, *in allocutione de Chirurg. genuina indole, et recta discendae ratione pag.* 13. *ſeqq. Hamb.* 1775.

dolendum, quod veterum Medicorum, qui Chirurgiam negligere turpisſimum credebant, veſtigiis ſpretis, tot ubivis inveniantur Medicinae Doctores, qui ne primum quidem Chirurgiae limen attigerint, aut ſi Chirurgiae Templi atrium per temporis momentum ingresſi ſunt, quum ipſum tractare ſcalpellum chirurgicum ipſis non esſet animus, uti intraverant, parites rudes ex eodem egresſi ſint, et data quavis occaſione maximam Chirurgiae imperitiam monſtrent. Estne turpiſſima ignorantia, quae noſtri aevi haud paucos Medicos a diligenti Chirurgiae ſtudio retinet? vel estne, qua in egregiam hancce diſciplinae medicae partem deſpiciunt, intoleranda ſuperbia? — Id quidem obſcuris illis ſuperſtitiosisque temporibus facile ignoſcimus, quod

ſolam

ſolam Medicinam excolerent, negligerentque Chirurgiam Clerici, quum per leges canonicas, et decreta Concilii Turonenſis a ſanguine fundendo abhorrerent; quodque ſcientia ſuâ, quam peſſime tamen excolebant plerique, ſuperbientes, curationes, quae manu fiunt, Laicis, ignaris, nec niſi unguentis, emplaſtris, carminibus, incantamentis, aliisque incertis ſuperſtitioſisque medicamentis curare doctis, omnes relinquerent: —— at noſtris diebus, quum ad tantum faſtigium Chirurgia evecta ſit, quum nobiliſſimae artis utilitas quotidianis exemplis comprobetur, et intimus illius cum Medicina nexus argumentis nullis disſolvi valeat, quod ab ipſis diſciplinae medicae ſtudioſis et doctoribus negligatur, hoc quidem turpiſſimum!

At

At hoc ſi verum est, ut quidem verisſimum; ſi Chirurgiam callere etiam Medicum oportet, quanto magis univerſae ſocietatis interest, ut is, qui nomen Chirurgi gerit, omni illa inſtructus ſit cognitione, quae ipſum ſuo nomine dignum reddat, utque ad ea praeſtanda re vera aptus ſit, quae ab ejus titulo exſpectari et expeti ſummo jure posſunt.

At vero, quam parvus, eheu, noſtra in Patria eorum numerus, qui omni numero boni peritique Chirurgi dici posſunt; quibus aegrotantium vita omni in caſu credi tuto posſit; quique ſe omni illa ornarunt cognitione, quae rationalis Chirurgiae debet esſe baſis et fundamentum. —— Sed quantus contra aliorum numerus, qui ne prima quidem Chirurgiae fundamenta edocti, —— qui omnis non

tantum theoreticae Chirurgiae cognitionis plane rudes, ſed quid ad praxin pertineat vix etiam mediocriter intelligentes, ſummâ ignorantia, nec minori ſaepe cum arrogantia, illotis manubus aggrediuntur Chirurgiam, et Chirurgiae magiſtri titulo inepte ſuperbiunt.

An in hos vero Chirurgi nobile nomen convenit? Isne dicetur jure Chirurgus, qui in barba tondenda, dente evellendo, cataplasmate vel veſicatorio applicando, vel qui in ſordido ulcere bene maleve indicato emplaſtro tegendo omnem chirurgicam cognitionem peritiamque verſare autumat; — aut cujus maxima peritia in facili inſtituenda venae ſectione conſiſtere reperitur? Minime profecto, A. A.; turpe, et ab arte chirurgica alienisſimum est vile abjectumque barbam

ton-

tondendi officium, et Chirurgiae praeſtantiam detrahit, ſeque ipſe ſuo nomine indignum reddit, qui Chirurgorum ordini adſcriptus barba tondenda, dentibus evellendis, et ſimilibus aliis maximam ſui temporis partem tranſigit.

Non autem is ego ſum, A. A. O. O., qui judicem, ignorare poſſe Chirurgum, quo modo capillis crinibusve pars quaedam corporis denudari, aut dens e ſua ſede amoveri debeat: minime vero; — est ubi Chirurgo novaculam forcipemve dentariam ſcite poſſe adhibere ſummae neceſſitatis est, uti, ne alia exempla memorem, in trepanatione, et antri Highmoriani abſceſſibus luculentiſſime patet: — at neglectis, quae ad Chirurgiam inprimis ſpectant, his ferme unice operam dare, his lu-

crum quaerere, et nobilisſimam artem his conſpurcare, hoc turpisſimum.

Et ſane, ſi vera fateri velimus, ſi aequa mente maximum noſtra in Patria Chirurgorum numerum dijudicemus, nonne aperte dicendum est, arctis admodum limitibus eorum peritiam atque ſcientiam contineri; — caſui maxime tribuendum esſe, quod fauſtum felicemque ſuccesſum labores eorum ſubinde ſortiantur; — nec non ingentem re vera eorum esſe catalogum, qui imperita Chirurgi manu quotidie praeter necesſitatem vexantur, torquentur, crucianturque, et tandem mutilati recedunt, eidemve ſaepisſime occumbunt victimae. — Feliciſſima ſane eorum ſors est, qui nullis adflicti malis eorum auxilio non indigent, quibusve, ſi dira necesſitas urgeat,

ad

ad peritiorem hominem patet aditus. — Vos vero maxime infelices; veſtra haud uno titulo quaerenda ſors est, qui caeci et inſcii veſtram ſalutem vitamque his imperitis creditis, aut quibus, ut alio confugiatis, non favet occaſio! Suae peritiae diffiſi ipſi, quod urget neceſſitas vel facere pertimeſcunt, vel partim tantummodo faciunt, vel prorſus negligunt: aut, ſummâ armati arrogantia et impudentia, omnia quaevis ſibi licita autumant; crudeli nec necesſario modo aegrotantes tractant; et eorumdem lacrymas vitamque vix quidquam curantes calamitatibus miſeriisque eorum ſuam peritiam adaugent, et experimenta per mortes agere ſolent.

Vos teſtor, qui a majoribus procul urbibus vitam ruri viventes imperiti ejusmodi auxilium

implorare vos coactos vidiſtis. — Vos teſtor, qui ſcite, et ſumma cum laude, egregiam artem exercentes miſeram multorum ſortem mecum defletis, quos alii, honeſto et nobili veſtro nomine turpisſime abuſi, haud uno modo vitiarunt, ac mutilarunt, veſtrum, at ſero ſaepe, implorantes auxilium. — Vos teſtor tot militum ſanguine imbuta caſtra, quae tot a Chirurgis deperditos vidiſtis, quos ſervare potuerat ars chirurgica. — Et vos, ô ſacra defunctorum receptacula! vos, quae Chirurgorum errores terra tegitis, ſi, quae ſinu veſtro reconditis, osſa loqui valerent, altane voce permultorum imperitiam celebrarent!

Memini hac occaſione, A. A. O. O., celebris viri, qui per totam Europam in extrahenda cataracta magnam ſibi famam conſecu-

tus

tus est, responsum celeberrimo olim nostra in Patria viro datum. Rogatus alter, qui tantam in hacce operatione perficienda sibi dexteritatem comparasset, cum egregiam oculi structuram, et visus theoriam prorsus ignoraret; dum, quem manu tenebat, pileum alteri ostenderet, ingenue respondit, non prius se suam artem perfectam adeo et absolutam vidisse, quam quot oculos ejusmodi pileus capere posset, experimenti causa deperdidisset. — O vos felices, quibus ejusmodi hominis experientia salutares maxime fructus adfert! — Vos vero miseri, qui tali modo inscitiam et imperitiam docere debetis; vos, in quorum salutis ruina ignorantia sibi templum exstruit!

At omnia si bene perpendamus, A. A. O. O., num

num mirabimur, quod noſtra in Patria tot imperiti Chirurgi inveniantur; ſique ad imperfectum maxime modum, quo ad Chirurgiam formatur Juventus, rite attendamus, nonne multo magis mirandum potius, quod hinc inde doctos, re vera, peritosque Chirurgos eadem Patria proferat? — Videamus, quaeſo, qui modus ſit, quo noſtri plerique formentur Chirurgi, quidque boni exinde exſpectari posſit, vos ipſi dijudicate.

Puer, vel qui ex ephebis vix excesſit adoleſcens, parentibus, quibus mediocris tantum fortuna contigit, ut plurimum natus, cuique ſua ſtudia liberaliter exſequendi proinde facultas deëst, ac, ſi a legendi et ſcribendi uſu recedas, vix quidquam ſaepe edoctus, hujus illiusve Chirurgi curae indiscriminatim committitur.

titur. Hic jam ad artem ejus mentem formabit; hic theoretica Chirurgiae cognitione ejus animum imbuet; hic tandem ad praxin exercendam ſuum discipulum aptum reddet! — Sed quo modo, qui ipſe plerumque indoctus est magiſter, docebit alium? — quî theoriae ipſe rudis artis fundamenta enucleabit alii? — quique ipſe mediocriter tantum exercere praxin valet, quomodo ad artis exercitium ſuum diſcipulum accommodabit? — Hic ergo tiro noſter illud addiscit, quo quidem maxima ſui magiſtri continetur peritia; hic diſcit novaculae lanceolaeque uſum; hic quomodo dens avelli, cataplasma vel emplaſtrum confici debeat, ipſi a magiſtro oſtenditur; hic deligandi ulceris, vel exigui momenti operationis videndae occaſionem nanciſcitur:

at omnium, quae ſcientiae et peritiae chirurgicae nomine rite veniunt, aut quae bonum peritumque Chirurgum formare debent, per multos annos nil audit, nec videt; dum e libris, quos vix ſibi caute ſeligere, ſelectos vero vix quartam partem haud raro intelligere valet, maximam ſcientiam atque peritiam haurire coactus est. — Sic optima jam, quae ſtudiis impendi debuerat, aetas conſumitur; — ſic, dum praecipua Chirurgiae fundamenta plane indoctus est, neque vix quidem empyrice exercere praxin valet, tempus appropinquat, quo ſuum deſerere magistrum, et ipſe Chirurgiae magiſter fieri debet. — Jam igitur Chirurgorum advocatur collegium; — peritiae qualecumque examen inſtituitur; — at, cum examinantium doctri-

doctrina peritiaque arctis pariter limitibus teneantur, iidemque de aliena peritia aequum ferre judicium ſaepe non valeant, quid mirum, quod Chirurgorum ordini adſcribatur imperitorum hominum magnus numerus, iisque ſine ulla plerumque difficultate praxeos exercendae concedatur facultas? — Sic multis noſtra in Patria Chirurgia addiscitur! — Sic pauci haud adeo creantur Chirurgi, quibus, nobili ſuo munitis titulo, veſtro periculo ſuam adaugere peritiam licet, quique veſtrâ ruina ſuam famam exſtruunt.

Abest tamen, ut ubivis noſtra in Patria negligenter aeque ac turpiter tractetur Chirurgia; abest, ut ad unum omnes Chirurgi ſuorum discipulorum inſtitutionem eadem ratione negligant, vel ut ſuam ob imperitiam

peritos formare Chirurgos omnes nequeant.

Minime, A. A.; doctis pariter peritisque Chirurgis, licet plerique ſuam cognitionem aliunde petiverint, noſtra etiam gloriatur Patria, qui omni ſtudio, omni opera ſuos discipulos quantumpote peritos reddere ſtudent; qui ad aegrotantium lectos praxin videndi chirurgicam iis occaſionem praebent; quique de novi admittendi Chirurgi peritia ſcite judicare valent, et religioſe pronuntiant. At talem habere magiſtrum paucisſimis tantum contingit; et, ſi contingat, tantus est ambitus artis chirurgicae; multa adeo Chirurgiae diſcipulis cognitu necesſaria ſunt, priusquam ipſius artis exercitium iis credi tuto posſit, ut optimo pariter peritisſimoque magiſtro illa omnia illos docere nec tempus ſuppetat,

petat, nec faveat occaſio. Equidem fateor, quod ad Chirurgiae theoreticas partes addiscendas noſtra in Patria uberrima detur opportunitas, quae vero ad ea, quae praxin ſpectant, deſideratur; at theoreticae praelectiones pleraeque cum ea quidem habeantur lingua, cujus tantum non omnis Chirurgiae discipulus rudis est, cujusque cognitio ab iisdem etiam non requiritur, quos quaeſo fructus ex illis praelectionibus iidem illi reportare poterunt? — At ab altera parte haud et illud me fugit, quod vernacula pariter lingua in haud uno noſtrae Patriae loco quotannis Chirurgiae theoreticae quaedam partes tradantur, quodque illae ſua haud careant utilitate praelectiones: — at, cuncta ſi ſpectes, ſique dicendum, uti res est, non poſſe huc usque

noſtra in Patria formari hominem, qui juſto titulo bonus, peritusque Chirurgus dici poſſit, attentus quisque fateri debebit (*). — En imperfecti jam noſtra in Patria ſtudii chirurgici imaginem vobis ex veritate quantumpote depictam! — En artem nobilisſimam, et maxime ſalutiferam, ab ipſis ſuis cultoribus humilem factam, et ferme noxiam redditam! — En chirurgicae artis rite addiscendae cupido

(*) Hic loci ſilentio praeterire turpe foret egregium Curatorum Academiae Lugd.-Batavae inſtitutum, qui, elapſis aliquot annis, Chirurgiae *practicae* Profesſore Lugdunum Batav. vocato, hujus etiam disciplinae medicae partis quantumpote addiscendae occaſionem ſtudioſae Juventuti praebere voluerunt. Nec reticendi laudandi inprimis Societatis Chirurg. Amſtelod. labores, e quibus in artis et ſtudii chirurgici uſum, atque emolumentum haud paucos certe redundant fructus.

pido Civi ipſa ſua in Patria non oblata occaſio! — En, A. A. Batavorum ſalutem, quam ipſi negligunt Batavi!

Lugemus haec omnia; lugentque mecum omnes boni, quorum ſuae aliorumque ſalutis interest, quique publicam ſalutem ſupremam legem judicant. — Sed quid inde boni? — quid hic ſermones et querelae valent? — quid prodest omnium illorum iners conſcientia? — Hic agi debet; — hic operi manus admovendae ſunt; — hic, ſi umquam Civium omnium ſaluti proſpicietur, ſi bonos fructus Chirurgia omnibus adferet, omni opera mali radices erui debebunt, ipſumque malum radicitus exſtirpari.

Jam veteres profesſi ſunt, A. A. O. O., arctisſimis necti vinculis Medicinam et Chirurgiam, eaque

eaque unius ejusdemque difciplinae tantummodo partes conftituere: et firmisfimus quidem ille nexus in hunc usque diem disfolvi nequaquam potuit. Quae vero cum ita fint, quae quaefo ratio est, cur ea, quae interius potisfimum exhibitis medicamentis curat, hujus disciplinae pars tantâ cura, tam accurate, atque adeo pro dignitate doceatur? quae ratio, cur fcrupulofum adeo doctrinae inftituatur examen, priusquam Medicinae ftudiofus fummos in Medicina honores confequi posfit? dum quae alteram, quae manu potisfimum medetur, ejusdem difciplinae partem fpectant, quafi ad aliam ignobiliorem pertineat, incuriofe magis, et negligentius tradantur, neque eadem pariter doctrina, atque fcientia ab illis requiratur, quibus praxeos exercendae facul-

tas

tas conceditur? An igitur Chirurgia tanto facilior cognitu Medicinâ est, vel an ab imperito Chirurgo minus periculi humano generi imminet, quam ab indocto Medico? Quis crediderit? Eadem est utriusque hujus disciplinae partis universa utilitas; eodem pretio utraque aestimari debet; eadem opera, eadem cura, idem labor requiritur, ut utraque pars pro meritis addiscatur.

Si quid igitur video, non aliâ incedere via debebit Chirurgiae studiosus, quam quae studiosis Medicinae monstratur, ut sua in arte necessariam doctrinam, atque peritiam sibi comparet; et profecto, nisi hoc vel simili modo procedatur, bonos Chirurgos nostra Patria numquam proferet.

Ante omnia vile et abjectum tondendi mu-

nus ab ipſa Chirurgia ſejungi, dentesque extrahere non primaria amplius Chirurgorum occupatio esſe debet: hae ſordes ſunt, quibus conſpurcata Chirurgia est, quamque diu haec non expurgentur, Chirurgiae debitus honos conſtabit numquam. —— Hoc jam ſi factum ſit, libere et ingenue educatus Juvenis chirurgicorum ſtudiorum ingrediatur curriculum, quamque ſibi exercendam propoſuit artis fundamenta ſic ponere incipiat.

Ut egregiam corporis humani fabricam noscat, omnia, quae ad Anatomen pertinent, rite addiſcat; nec, quae uſum, mechanismum, functionesque partium explicat, praetervideat Phyſiologiam. Sic, quo modo omnia in ſtatu ſano ſeſe habeant, cognoſcet, quibus antea non bene cognitis, nulla prorſus erit morboſi

bosi scientia. Jam vero, ut naturam, differentiam, causas effectusque morborum chirurgicorum pariter cognoscat, ad Pathologiam sese applicet; dum signorum doctrinam, quibus quidquid in morbis ex se obscurum cognosci debet, praesens, praeteritum aut futurum detegitur, Semiotica, — et varia adversae valetudinis praesidia, et quidquid ad naturam, proprietates, et diversum medicamentorum agendi modum spectant, ipsi explicabit Therapeutica. Haec omnia, quae Medico scitu summopere necessaria judicantur, haud minus chirurgicae artis fundamenta dicenda sunt; et jure jam censuit Albucasis, inpudenter in Chirurgia illum quidquam adgredi, qui Anatomiae cognitione non esset instructus, aut medicamentorum virtutes non op-

optime calleret (*). — Jam, quantâ decet, theoretica cognitione imbutus, tempus adest, quo diſcere debet, quomodo, quae hactenus edoctus est, omnia ad oblatos aegros ſint applicanda; jam ſcire oportet, quo modo ſanari debeant, quibusnam medicamentis hunc in finem uti conveniat, aut, ſi medicamenta ſanare non valeant, quibus in caſibus ferri ope abſolvi ſanatio debeat. Maxima cura illi haec omnia a praeceptore proponenda ſunt, et postquam, quae ſine operatione ſanari mala nequeunt, dignoſcere didicerit, — postquam ipſa operationis neceſſitas methodusque ipſi ſint expoſitae, — postquam per univerſum rei habitum, per anima-

(*) V. Freind Hiſt. Med. pag. 508.

nimalis oeconomiae leges, per experientiam definitum operationis inſtituendae tempus cognoverit, — postquam audierit, quae peragendae operationi, et post eandem peractam, ſupervenire ſymptomata posſunt, et quo modo mederi illis debeat, — postquam omnia, quae aëris temperiem, loci opportunitatem, tempeſtatem anni et alia bene multa ſpectant, quorum cognitio operatori ſummopere necesſaria est, abunde ſatis ſit edoctus; tunc inſtrumentorum uſus, et ipſe inſtituendarum operationum modus ipſi ad oculum in cadavere exponi debent; tunc, ut dexter et habilis ipſe fiat, ut inſtrumenta tractare ipſe discat, omnia quae a praeceptore peracta vidit, in cadavere pariter repetere ipſe debet; nec hisce in exercitiis, quae ad faſciarum et deli-

gationum compoſitionem et adplicationem ſpectant, omitti posſunt. — Hic vero nondum nec potest, nec debet ſubſiſtere. Huc usque tiro noſter *audivit* tantum, et in *cadavere* inſtitutas operationes vidit, easdemque inſtituit; nunc pariter, quo modo quam plurima mala chirurgica tractentur *videre*, atque in *vivo* perita manu peragendis operationibus adſtare debet: nec illud tantum, ſed tandem etiam, ut ſui magiſtri ſub auſpiciis ipſe quanpote manus admoveat operi, et levioris momenti operationes inſtituat, ſummae quidem erit necesſitatis. — Sic quidem, vel egregie fallor, periti doctique Chirurgi formari poterunt; ſic quidem pro dignitate meritisque ars docebitur, quae nobiliores inter et utilisſimas haud infimo loco poni meretur.

tur. — At ſic quidem ſuo potiundi deſiderio noſtra in Patria Chirurgiae dicendae cupido non favet occaſio: hic deſunt ejusmodi inſtituta, ubi juxta propoſitam normam docetur Chirurgia, et ſine quibus hujus artis disscipuli erudiri numquam, nec ad artis exercitium apti reddi posſunt.

Publicis ſumptibus periti doctique creari Praeceptores debent, quorum princeps labor in eo conſiſtere debet, ut, quae ſuum pectus nobili ſacravit Chirurgiae, juventutem inſtituant; et his omnia quaevis facilia reddenda ſunt, quibus ad juventutis inſtitutionem judicetur opus. Condenda pariter ampla noſocomia ſunt, ad quae cuivis non tantum aegrotanti aditus patere debet, ſed quo, bene ordinatâ eorundem conſtitutione, et bono

pa-

pariter ſapientique moderamine, allici debent aegrotantes quam plurimi. Hic multa, eaque maxime diverſa mala videri poterunt; hic ad ipſos aegrotantium lectos inſtituetur Juventus; hic audire pariter ac videre discipuli poterunt; hic agentes, aegros tractantes, et operationes inſtituentes praeceptores videbunt; hic ſub eorundem praeceptorum auſpiciis ipſis agendi, et aegrotantes tractandi Chirurgiae diſcipulis occaſio dabitur.

Si denique ſapientisſima lege caveatur, ne quis umquam ad praxeos chirurgicae exercitium admittatur, niſi qui dicto modo ſtudiorum curriculum exegerit, debitaque doctrinae peritiaeque ſpecimina dederit; et priusquam Chirurgorum ordini adſcribantur, diſcipulorum peritia religioſe examinetur et dijudicetur,

tur, non dubito, quin ex ejusmodi inſtituto omni numero boni et abſoluti Chirurgi prodeant, et largisſimi pariter fructus exinde in Patriam redundent.

Sic noſtra etiam Patria peritorum Chirurgorum evadet nutrix, quibus non opus erit, ut ſuam cognitionem apud exteros petant, aut ſuper multorum civium ſalutis ruinam qualemcumque ſuam peritiam exſtruant. — Sic imperfectum et difforme Chirurgiae aedificium funditus evertetur, novisque poſitis fundamentis, novum, perfectius et praeſtantius erigetur templum, ubi pro dignitate meritisque debitus honos tribuetur Chirurgiae, et unde ſupra altaria accenſi ignis ſalubres odores longe lateque dispergentur. — Id jam a Vobis, quos Patres veneramur Patriae; a

Vobis, quibus ſumma Patriae Civiumque ſalus commisſa est; a quibus omnis noſtra in Patria imperfecti emendationem, perfectionem et abſolutionem praevidemus, inpatienter exſpectamus. — Veſtra perſpicacitas, veſtra asſiduitas, veſtra φιλανθρωπία et in Patriam amor neglectam hancce noſtrae diſciplinae partem non praetervidebit. Hac etiam in parte veſtra Vobis praelucebit ſapientia: veſtro labore ſuus noſtra in Patria Chirurgiae conſtabit honos, veſtrisque curis ſalutaribus doctos etiam peritosque Chirurgos e ſinu ſuo natos videbit batavum ſolum. — Sic veſtris quisque benedicet conatibus; Civium ſalus, Patriaeque gloria per Vos promovebitur, veſtrasque laudes referet laeta grataque Batavorum Respublica.

Sic

Sic quidem A. A. O. O., perorata caufa, hic pedem figere posfem, nifi alio pergere me monerent grati animi fenfus, et ipfa hujus diei laeta folemnitas. Atque igitur primo loco Vos mihi compellandi eftis, honoratisfimi Cives, Academiae Gelricae Curatores dignisfimi; et tantum quidem esfe, tamque eximium honorem, quem in me conferre veftrae benevolentiae placuit, ut grati erga Vos animi fenfum exponere nequeam, lubens agnosco, et palam profiteor. Tam bene enim de me, meisque ftudiis judicaftis; tantam quidem in me doctrinam, atque peritiam fufpicati eftis, ut me, altero vix elapfo anno Medicinae Doctoribus adfcriptum in fummum nunc honoris faftigium vobis evehere placuerit. Plurimum quidem eo nomine Vobis debeo, viri gravis-

ſimi, quasque posſum maximas vobis ago habeoque gratias: at meae mihi tenuitatis probe conſcio nondum excidit metus, quo jam dudum teneri me ſentio, ne oblati muneris gravitati ſint impares humeri. Sit licet; mentem componit veſter favor, et veſtra pariter erga me benevolentia; iisque confiſus id etiam mihi perſuaſum habeo, veſtram aequitatem non majora a me petituram, quam quibus minus exercitati Juvenis vires ſufficere valeant. Id tamen ſancte polliceor, ſummam mihi fore curam et diligentiam, ut, quam mihi demandaſtis, provinciam asſiduâ induſtria, et labore gubernem, utque, quam nactus ſum, Spartam pro viribus ſemper exornem. —— Sic quidem, ſi meis quibuscumque conatibus in Palladis Harderwicenae gloriam quidquam contulisſe potuerim;

rim; ſic quidem, ſi ſua utilitate meae inſtitutiones non prorſus caruerint, nec mei labores Vobis, Maecenates, displicuerint penitus, impenſe laetabor. Faxit interea Deus optimus maximus, ut veſtris ſub auſpiciis noſtra Academia quantumpote floreat, utque Vobis ipſis ſalvis, deque ſalva Academia et Patria bene merentibus, veſtri dies in ſeram usque ſenectutem protrahantur.

Ad Vos me converto, quarumcumque artium ac diſciplinarum Profesſores clarisſimi, Collegae jamjam honoratisſimi. Hac iterum hora ſi veſtram amicitiam efflagitare vellem, tot tantisque, quibus me proſecuti eſtis, amicitiae et benevolentiae ſignis diffidere viderer. — Haec Deus avertat! — Conſtans ſit nos-

tra haecce amicitia; eodem, quo coepitis, favore me Juvenem, annis, eruditione atque experientia vobis longe imparem, prosequamini; utque gratissimo pariter atque utilissimo vestro convictu mihi uti semper liceat, enixe rogo. Pectus vobis apertum et sincerum obfero, a fuco et fallaciis maxime alienus; idque de me ipse asseverare non vereor, Vos semper in me facilem, concordiae amantissimum, et omni officiorum genere Vobis obstrictum habituros esse laborum socium; nec prius quidquam, aut antiquius mihi fore, quam vestros conatus in studiosae Juventutis utilitatem, et Academiae gloriam omnibus viribus adjuvare.

Atque haec quidem Vobis inprimis dicta sint, clarissimi Medicinae Professores, quibus

per

per ipſam, quam colimus, artem arctiori vinculo me junctum ſentio. Quantae quidem ſit utilitatis et neceſſitatis, ut qui ejusdem diſciplinae tenentur vinculo, quibusque eorundem Juvenum inſtitutio commiſſa est, iidem et amicitiae conſuetudine inter ſe connectantur, Vos optime quoque perſpicere certiſſimum habeo. Eia igitur, junctas manus admoveamus operi; unitis viribus Juventutis commoda promoveamus, quaeque nos jungunt amicitiae vincula, arctiſſimi, quo diverſae nobis creditae diſciplinae medicae partes tenentur, vinculi emblema conſtituant.

Jam vero, amiciſſime FORSTEN, quem quidem ſilentio praeterire officium, atque amicitia vetant, quo modo, niſi tuam obfendam modeſtiam, grati animi ſenſum tibi exponam?

Me

Me quidem, non nisi tibi nomine notum, tanta benevolentia excepisti, tantisque amicitiae documentis cumulasti, ut tibi non hospes, non incognitus viderer, sed longo annorum convictu certissimus amicus. Haec laetus pariter gratusque refero, et semper referam; sique tua amicitia me non indignum censueris, si familiariter huc usque me uti tibi non ingratum fuerit, affulget mihi spes laetissima, fore ut utilia et jucunda transigamus tempora. — Tu eâdem, qua coepisti, amicitia me prosequi pergas, vires meas juveniles tuo consilio et auxilio sustineas, illudque, quod hoc meum pectus se tibi tuisque maxime devotum sentiat, et firma vobiscum amicitia frui desideret, unum, sed verum, nec fucatum animi accipias testimonium.

Ad Vos tandem, ornatisſimi Juvenes, et in iis ad Vos maxime, qui Apollineae arti veſtra ſacraſtis pectora, mea jam nunc ſe convertit oratio. Quantae quidem utilitatis ſit medicinae ſtudioſo, ut in Chirurgia quoque non verſetur hoſpes, et quam multa quidem requirantur, ut haecce altera diſciplinae Medicae pars pro dignitate exerceatur, vivis maxime coloribus vobis depingere anniſus fui. Dicti veritas Vos omnes tenet: quid enim aliter ſentiam, ſi ad ſummam quidem aſſiduitatem, et laudabilem maxime ſedulitatem, qua incoeptis, at huc usque inperfectis maxime, lectionibus noſtris chirurgicis adfuiſtis, advortam animum? Pergite, quo coepiſtis, tramite, dilectiſſimi Juvenes, et in hac et in aliis, mihi inprimis commiſſis, diſciplinae me-

dicae partibus, ſi velitis, me ducem ſequamini.

Quidquid mihi ſcientiae ſit, quidquid exercitationis, quidquid peritiae, id omne vestrum est. Veſtris commodis inſervire, veſtra ſtudia promovere, Vos juvare, Patriaeque Civibusque vos quantumpote utiles reddere, haec mihi jam ſuprema lex est. Vobis igitur omni tempore liber ad me patebit aditus; conſilio et auxilio Vobis numquam deëro, et ad id, quos potero, maximos intendam nervos, ut ſemper in me amicum integerrimum, commilitonem ſtrenuisſimum, ducem fidelisſimum, et maxime facilem praeceptorem ſitis repeturi.

D I X I.